

saluberrimumque cœptum non gratulatione solum, Dilecte Fili, sed et commendatione Nostra votisque prosequimur optimis. Qui enim nihil avemus magis quam ut Eucharistiæ cultus promoveatur in dies inter catholicos universos, non possumus non vehementer desiderare ut sacerdotes omnes, Altaris ministri, eucharisticæ adorationi ita assuescant, ut inde recedant "*tanquam leones ignem spirantes facti diabolo terribiles*". Re sane vera, vix quicquam esse arbitramur, quod magis valeat ad studium in iisdem acuendum divinæ gloriæ, quam jugis divinæ caritatis commentatio. Mens in ea quippe impletur gratia, ac Christi, amoris victimæ, invitamenta ita ad redamandum provocant, ut nihil magis libeat, quam ut caritas Dei in omnium corda diffundatur. Sit igitur felix, sit faustus Sacerdotum Canadensium conventus, et adauctus per eos Eucharistiæ cultus atque usus, illud fidelibus singulis afferat futuræ gloriæ pignus, quod Nos paterna caritate iisdem desideramus. Auspex interea divinorum munerum Nostræque testis benevolentiae Apostolica sit Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili, iisque omnibus qui conventui apparando adlaborant quique eidem intererunt peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die XX Decembris MCMXIV, Pontificatus Nostri anno primo.

*Benedictus LL x v*

---